

est, si fiat, ut forsitan non procul à se inuicem se junctæ fi-  
ent, ita tamen ut id absque longiore mora fiat : tunc ne  
cogites, ut, veluti Natura ab initio fecit, illa iterum con-  
jungere, multiplicare, atq; , sine immutatione, augmen-  
tare possis. Si enim metalla à minera sua separata sunt,  
tunc illa , non secus ac minores nimis mature decerpti  
atborum fructus , qui numquam ad justam suam magni-  
tudinem perfectionemque perueniunt , deprehendun-  
tur. Similiter, & per naturam, ipsamque experientiam,  
de arborum fructibus notum est , quod si malum, vel pi-  
rum, semel ab arbore decerpatur , magna tum fiet stulti-  
tia, si quis illud denuo ad arborem figere , & hoc modo  
fructus illius maturitatem expectare conetur. Quo ma-  
gis enim, uti similiter experientia testatur , manibus cir-  
cumuoluatur, tanto magis citiusque marcessit. Et eodem  
modo etiam res cum metallis sese habet. Nam si quis  
vulgare aurum metallicum & argentum sumere , atque  
ambo ista metalla in Mercurium redigere conaretur , is  
omnino stultesceret. Heic enim nulla ars subtilis repe-  
rienda esset, qua quis se ipsum non deciperet, licet etiam,  
multifariis aquis, cæmentis , aut id genus infinitis rebus  
aliis , quæ singulæ commemorari nequeunt , vteretur :  
affidue à scopo aberraret , ipsique idem contingeret,  
quod illis, qui immaturos fructus decerpere, eosdemque  
dein iterum ad stirpem alligare velint. Quamuis veri a-  
liquot Philosophi recte beneque dixerint, si Sol , atque  
Luna, per rectum Mercurium rite jungantur , quod  
tum omnia alia imperfecta metalla perfecta reddant: qua  
tamen in re ut plurimi homines à scopo aberrant, qui ni-  
hil aliud in terra habent, quam tria ista, vegetabilia , ani-  
malia,

222 239  
 413  
 Faber in pro pignae.  
 Alchimia p. 29.

Thiabu Chym Vol. 5.  
 p. 80.